

facit eas dignas æstimatione morali infinita: ergo ista æstimatio moralis fundatur in aliquo reali ordine, quod tales actiones realiter egrediuntur a Deo homine, illique uniuntur.

XVII. Ac denique, quia demominatio extrinseca semper provenit ab aliqua vera, et reali forma, intrinsece existente in alio, sicut esse visum in pariete a visione existente in oculo. Persona autem divina non existit intrinsece in alio, quam in humanitate, ejusque potentiis, et habitibus, quatenus Persona divina realiter est unita illi naturæ, eamque reddit realiter subsistentem, et terminatam, non per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam dependentiam humanitatis ab ipsa: ergo ipsa dignitas actionum Christi, et gratiæ illius, non fundatur in extrinseca denominatione, sed in aliquo intrinsece respectivo, quatenus realiter, et intrinsece uniuntur Personæ divinæ, et actiones ab illa procedunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

XVIII. Ex quo facile diluuntur objectiones, quæ possunt fieri contra hanc resolutionem. Objici enim solet: Quia illa moralitas est infinita, et non potest recipi in entitate finita, qualis est gratia, et in actio Christi.

XIX. Item: Non potest procedere hæc infinitas a solo Verbo, cum Verbum nihil efficiat in humanitatem seorsum ab aliis Personis, sed tantum terminet naturam: neque a tota Trinitate, quia sic infinitas meriti tribueretur omnibus Personis, cum tamen solum dicatur mereri Persona Filii, quæ incarnata est.

XX. Denique: Quia gratia Christi non potest dare effectum formalem infinitatis moralis: ergo neque ipsa est infinita moraliter. Antecedens

patet, quia effectus formalis gratiæ est acceptatio ad gloriam, non potest dare acceptionem ad gloriam: ergo.

XXI. Respondetur ad primum, quod illa moralitas infinita potest recipi in entitate finita, quia etiam ipsa moralitas entitative sumpta finita est, scilicet relatio realis ad Personam Verbi, sive unio, quæ est in humanitate, et relatio actionis egredientis ab illa Persona, ut a principio operante. Istæ enim relationes entitative sunt finitæ; terminative autem infinitæ; et ideo creatura est capax illarum. Dicuntur autem moraliter infinitæ, quia terminantur, seu uniuntur principio infinito, vel ab illo procedunt, et sic æstimationem habent infinitam.

XXII. Ad secundum dicitur, quod unio humanitatis efficienter est a tota Trinitate; terminative autem, et personaliter a solo Verbo; et similiter operationes Christi procedunt a Persona, ut principio quod proximo supplente vicem creatæ: efficaciter autem sunt a tota Trinitate tamquam a causa prima, sicut reliquæ operationes aliarum rerum. Dignificatio autem, et æstimatio moralis non sumitur ex causa prima, et remota, alias omnes operationes creaturarum essent infinitæ dignitatis, quia procedunt a Deo, ut a causa prima; sed sumitur dignificatio a principio proximo, et a Persona, a qua procedunt, et sic procedunt operationes a Persona Christi efficienter, ut a principio quod proximo, a tota autem Trinitate efficienter, ut a causa prima.

XXIII. Ad tertium dicitur, quod gratia Christi, ut conjuncta Verbo, sicut dat acceptionem ad gloriam, etiam ipsi Verbo conjunctam; ita etiam dat acceptionem ad gloriam infinitam, non infinitæ intentionis, sed moralitatis, quia etiam ipsa gloria habet infinitam æstima-

tionem ex conjunctione ad Verbum.

XXIV. Ad motiva primæ opinionis supra relatæ, respondetur esse discrepantiam rationem de calore producente carnem, aut lac et de gratia infinite dignificata, quia calor ordinatur, et sumitur, ut instrumentum ad producendum physicum effectum ultra suam speciem; et ideo dicitur physice perfici perfectione aliqua absoluta, ad talem effectum producendum. At vero gratia solum dignificatur moraliter ex conjunctione ad Verbum, quæ quidem conjunctio non exigit ultra respectum unionis, aliquem modum, seu perfectionem absolutam. Nec potest talis dignitas, et æstimatio formaliter provenire ab aliqua forma creatæ, sed ab ipsa Persona infinita, ut conjuncta tali gratiæ, et operationibus illius, quare præter conjunctionem, nihil aliud requiritur.

XXV. Ad secundum dicitur, quod esse principium sanctificativum aliorum, et gratiam capitis, si sumatur pro eo, quod est virtutis ad influendum in alios gratiam, et merendum pro illis, est perfectio intrinseca gratiæ, proveniens ex majori, et excellentiori participatione bonitatis divinæ, ut supra diximus ex D. Thoma. Unde neque repugnabit hanc perfectionem, et excellentiam conferri alicui puræ creaturæ, licet non esset decens, ut docet S. Thomas in iv, dist. v, quæst. i, art. iii, quæstiuncula ii, et in sequenti quæstione latius explicabitur.

XXVI. Si autem sumatur gratia capitis pro ipsa auctoritate, et dignitate infinita morali, unde actiones Christi habent valorem ad satisfaciendum de rigore justitiæ, et ad hoc, ut sint actiones theandricæ, sic dependent a Persona Verbi, et ex conjunctione ad illam recipiunt hanc moralitatem, non per aliquam

perfectionem absolutam superadditam, sed ex sola conjunctione, et terminatione ad Verbum, ut declaratum est.

ARTICULUS III.

Utrum gratia habitualis possit dici passio, vel ad modum passionis respectu gratiæ unionis?

I. Occasionem præbuit huic difficultati S. Thomas in articulo xiii hujus quæstionis ad secundum: « Quod gratia habitualis in Christo non intelligitur, ut præcedens eam, sicut quædam proprietas naturalis. » Unde et Augustinus dicit: « Quod gratia est quodammodo Christo homini naturalis. » Ad explicandum ergo exacte, quomodo in Christo habeat connaturalem statum, ideoque postulet esse summam saltem connaturali modo, sicut lux in sole, restat verificare, quomodo gratia possit dici propria passio in Christo, et quomodo illud subjectum sit illi connaturale.

II. Et est ratio dubii, quia ut sit propria passio in Christo, et illud subjectum sit illi connaturale requiritur, quod naturaliter, et necessario sequatur in Christo: at omnibus etiam principiis stantibus, tam ex parte naturæ assumptæ, quam ex parte personæ assummentis, libere potuit a Deo non conferri illa gratia: ergo frustra dicit D. Thomas, quod sequitur, sicut naturalis proprietas, et sicut splendor ad solem.

III. Ex alia vero parte videtur se habere, ut propria passio, quia gratia unionis est aliquid perfectissimum, et supremi ordinis: ergo debet habere aliquas proprias passiones ordinis supernaturalis. Nulla autem aptior est, quam gratia habitualis, sicut enim virtutes infusæ

dimanant a gratia, tamquam propriæ passiones, quia eminenter, et virtualiter in ea continentur; sic gratia habitualis dimanare debet a gratia unionis, in qua eminentius continetur, quam virtutes in gratia.

IV. Quod etiam Christus non sit connaturale subjectum gratiæ, ex eo arguitur, quia gratia non est debita connaturaliter humanitati Christi, etiam ut unitæ Verbo, si quidem gratia habitualis per gratuitam, et liberam actionem infunditur illi animæ a Deo: ergo non ex aliquo connaturali debito, alioquin respectu illius non erit gratia.

V. Confirmatur, quia infunditur ei secundum potentiam obedientialem, sicut et nobis: est enim gratia ejusdem speciei, et eodem modo educta de potentia obedientiali animæ sicut nostra: ergo non est connaturalis, si quidem solum obedientialiter, non vero connaturaliter se habet ad illam.

VI. Propter hoc aliqui theologi, ut Medina, et alii concedunt gratiam Christi per simplicem resultantiam emanasse ab humanitate Christi, ut elevatam per unionem hypostaticam: contra quos agit Asturicensis pagina 163, et sequentibus.

VII. Nos breviter, et resolutorie respondemus, gratiam habitualement non fuisse datam animæ Christi per resultantiam, et dimanationem, quasi activam, sicut propria passio naturalis dimanat a subjecto: sic enim, neque dimanavit a Persona Verbi, neque ab humanitate elevata per gratiam unionis. Nihilominus humanitas elevata dici potest proprium, et connaturale subjectum gratiæ habitualis.

VIII. Prima pars probatur, nam neque datur principium a quo naturaliter dimanet gratia, neque ipsa gratia est forma per modum pas-

sionis, sicut virtutes ad illam consecutæ, sed est gratia per modum naturæ se habens; ergo non dimanat a gratia unionis. Antecedens quoad secundam partem constat ex ipsa natura gratiæ, quæ est participatio divinæ naturæ, ut natura est, et datur ad elevandum ipsam essentiam animæ, sicut virtutes ad elevandum potentias; ideoque gratia in genere supernaturali se habet ut natura, et virtutes ut passiones propriæ; ergo ipsi formæ gratiæ non convenit habere rationem propriæ passionis.

IX. Quoad primam partem probatur, quia non datur aliquod principium, neque creatum, neque increatum a quo possit gratia per resultantiam, et emanationem procedere, sicut procedit propria passio ab essentia: non datur principium creatum talis emanationis, quia propria passio est quædam participatio essentiæ, a qua profluit, et in qua radicaliter continetur; gratia autem est immediata participatio divinæ naturæ, quia: *Facit nos consortes divinæ naturæ*, ut dicitur 1 Petri 1: ergo non potest radicaliter contineri in aliquo creato tamquam in essentia, cujus sit propria passio, quia nec potest esse ejus participatio, neque est aliquod principium increatum, quia gratia non potest naturaliter, et necessario resultare a Deo, sed per actionem liberam producit, cum sit effectus illius; nulla autem creatura, seu effectus Dei necessario, et per resultantiam dimanat a Deo: et multo minus a solo Verbo in humanitate, quia Verbum pure, et præcise terminat humanitatem, nihil vero agit in illam, nec potest habere effectum aliquem, qui non sit communis toti Trinitati; ergo gratia non resultat naturaliter in Christo, sed eodem modo producit per actionem Dei, sicut in nobis.

X. Dices: Procedit ab aliquo creato, ut conjuncto ipsi Deo, vel saltem ab ipsa unionem hypostaticam, contra, nam in primis unio hypostatica non est forma a qua possit dimanare gratia, quia unio solum est applicatio, et dependentia humanitatis a Verbo, et relatio ad ipsum; forma autem, quæ solum servit tamquam unio, et applicatio, et per modum relationis se habet, non potest habere tamquam propriam passionem qualitatem, qualis est gratia, quia est forma absoluta, quæ non consequitur ad respectivum. Similiter ipsa humanitas ut elevata, et conjuncta Personæ divinæ non accipit radicalem continentiam gratiæ habitualis, quia per talem conjunctionem solum redditur subsistens, et terminata per ipsam Personam Verbi; in ipsa autem natura, seu virtute, et continentia illius nullo modo manet mutata; ergo non potest esse principium dimanationis gratiæ, quia ad hoc deberet esse substantialiter continens id, quod gratia accidentaliter est in se, quia propria passio est participatio substantiæ a qua dimanat: nihil autem substantiale accipit humanitas præter terminationem ad Verbum.

XI. Quoad secundam partem conclusionis positæ de connaturalitate subjecti, est notandum, quod subjectum connaturale non solum dicitur illud, quod habet connaturalem connexionem cum aliqua forma, sicut subjectum a quo dimanat aliqua propria passio; sed etiam dicitur subjectum connaturale id, quod redditur convenienter dispositum, et proportionatum cum aliqua forma, etiamsi reddatur tale per aliquid sibi superveniens de novo. Itaque connaturale dicitur dupliciter. Uno modo quasi connaturaliter activa, sicut subjectum respectu passionis dimanantis a se, vel vitalis

potentia respectu actus immanentis; alio modo connaturalitate quasi passiva, ut diaphanum respectu lucis, cælum respectu motus, intellectus Angeli respectu specierum, quæ sibi infunduntur a Deo. Et in supernaturalibus visio beata, et unio essentiæ divinæ ad intellectum habent pro subjecto connaturali lumen gloriæ; et tamen ista inter se non habent talem connexionem, quod unum dimanet ab alio, sed unum est proportionatum, et commensuratum subjectum alteri, et sic dicitur connaturale subjectum proportionis, non dimanationis. In Christo ergo, cum subjectum illud ratione gratiæ unionis supponatur sanctificatum formaliter, hoc ipso redditur proportionatum, et connaturale respectu sanctificationis accidentalis, licet talis gratia dans accidentalem sanctificationem comparata ad entitatem animæ educatur de potentia ejus obedientiali, non naturali.

XII. Sic ergo explicatur, et probatur connaturalitas talis subjecti ad gratiam; tum, quia subjectum habens unum oppositum remotum, et expulsum, ex hac ipsa negatione quamdam connaturalitatem habet, et proportionem ad alterum oppositum, saltem negative: ex unionem autem ad Verbum manet illud subjectum impeccabile; ergo hoc ipso manet connaturale ad gratiam, quæ est forma sanctificans, et expellens peccatum.

XIII. Tum etiam, quia per gratiam unionis subjectum illud manet supernaturalizatum, et sanctificatum ut quod, in linea supernaturali, imo in altiori linea, scilicet unionis hypostaticæ; sed omni principio quod proportionatur, et connaturalizatur aliquod principium ejusdem ordinis, et lineæ; ergo cum gratia sit principium quo operandi supernaturaliter, et gratia unionis consti-

tuat illum hominem ut principium quod supernaturale, sine dubio gratia habitualis connaturalem proportionem habebat cum gratia unionis.

XIV. Tum denique, quia ex vi unionis ille homo erat Filius Dei naturalis in natura assumpta proprie, et non solum per communicationem idiomatum, ut infra quæstione xxiv probatur; ergo habebat jus ad hæreditatem tamquam Filius, hæreditas autem est gratia consummata; ergo erat subjectum connaturale talis gratiæ, sicut Filius est connaturale subjectum hæreditatis, et sic manebat illi debita gratia habitualis, sicut debetur hæreditas Filio; nec poterat sine miraculo illi denegari, ut communiter fatentur theologi.

XV. Nec obstat, quod etiam calor est debitus animali, et tamen proprium, et connaturale subjectum ejus est ignis; dicimus enim, quod calor, qui est debitus animali est calor temperatus, et vitalis, et prout sic non est connaturaliter in igne, sed in animali; ignis enim non habet connaturaliter calorem temperatum, et vitalem, sed igneum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Ad rationes dubitandi in oppositum. Ad primam concedimus gratiam non comparari ad Christum, ut ad subjectum dimanationis, et resultantiæ, nec S. Thomas id insinuat, quia quando dicit causari gratiam ex præsentia deitatis, sicut causatur splendor ex sole, non loquitur de splendore existente in ipso sole, qui est propria passio dimanans ab igne, sed loquitur de splendore causato in aere per illuminationem solis: « Sicut lumen, inquit S. Thomas, causatur in aerem ex

præsentia solis, » quod non est in ipso sole, sed per actum illuminativum producit extra solem in aere, et tamen recipitur connaturaliter in ipso aere, quatenus diaphanus est; ita gratia causatur ex præsentia deitatis in Christo per actionem infundentem tatem gratiam, non per dimanationem, et tamen recipitur connaturaliter in anima Christi, ratione dicta.

XVII. Ad secundam objectionem dicitur, quod unio personalis non est natura aliqua substantialis, quæ petat aliquas proprias passiones dimanantes ab ipsa, sicut qualitates aliquæ dimanant a substantia; est enim illa unio, vel sola relatio, vel modus aliquis substantialis; relationi autem non convenit habere qualitatem gratiæ, tamquam propriam passionem per modum dimanationis. Si autem est modus substantialis, est quid imperfectum generis substantiæ, tamquam modus, cui non convenit esse subjectum dimanationis respectu gratiæ, et qualitatum: si quas ergo proprias passiones habet ille modus, erunt alterius generis, et similes illis passionibus, quæ possunt convenire modis personalibus, ut subsistentiæ, et existentiæ, verbi gratia, quod sit radix operationum ut quod, non ut quo: quod reddat operationes dignificatas, et infiniti valoris, et æstimationis; licet enim æstimatio ista sit aliquid rationis, tamen fundamentum illius (ut dictum est) reale, et positivum ordinem dicit ad suum principium, et hoc potest pertinere ad propriam rationem gratiæ unionis.

XVIII. Ad tertiam objectionem contra subjectum connaturalitatis, respondetur probare quod gratia non habeat animam Christi pro subjecto connaturali connaturalitate dimanationis, et resultantiæ, non tamen connaturalitate proportionis,

ita quod sit subjectum connaturale quasi passive, non active (ut explicatum est) et sic gratia per liberam actionem producit a Deo, et tamen connaturaliter, et proportionate recipitur in anima Christi, sicut exemplis allatis probatum est.

XIX. Ad confirmationem respondetur, quod gratia educitur de potentia obedientiali animæ, non de potentia naturali. Et cum infertur: ergo illud subjectum non est connaturale, distingo; ex parte animæ præcise, et entitative consideratæ, concedo; ex parte animæ ut elevatæ per gratiam unionis, nego. Sicut etiam lumen gloriæ est connaturale animæ habenti gratiam, et visio est connaturalis habenti lumen gloriæ,

et tamen formæ istæ supernaturales educuntur de potentia obedientiali animæ, non de naturali: hoc enim sufficit ut dicatur subjectum connaturale connaturalitate proportionis, licet non dimanationis. Unde non est connaturale subjectum quasi active, id est, quod active, et per dimanationem producat illam gratiam, sed quasi passive, quia proportionate, et secundum quoddam debitum respicit illam, supposita elevatione per gratiam unionis. Nec amplius requiritur ad hoc, ut dicatur subjectum connaturale passive, et in recipiendo, licet active fiat per actionem liberam ipsius Dei, non per dimanationem naturalem.